

committitur, ab eo plus exigitur⁴. Beneficiorum igitur habundantiam, que super omnes in carne viventes⁵ sublimitas vestra de manu Dei copiose suscepit, diligenter attendat et pro certo cognoscet, quod hac tempestate nil dignius poterit tribuenti retribuire, quam si calicem Domini⁶ accipiat et nomen invocet Salvatoris eius exemplo qui ait: „Quid retribuam Domino pro omnibus que retribuit michi? Calicem salutaris accipiam et nomen^d Domini invocabo“⁷. Is enim qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus esse se equalem Deo⁸ pro humani generis salute bibit calicem passionis factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod et Deus exaltavit illum et <donavit>^e illi nomen, quod est super omne nomen⁹. Is inquam ecce nunc gravem patitur iniuriam ab hereticis et paganis, qui nomen christianum desuper terram delere nituntur. Sed tu, christianissime princeps, calicem salutaris¹⁰ accipias ad expugnandum paganos, qui funiculum hereditatis¹¹ Christi, quam sui sanguinis^f precio comparavit, hostiliter invaserunt, ne, si forte virtutis vestre defuerit auxilium, residuum locuste brucus absumat¹². Et nomen invoces Salvatoris ad extirpandum hereticos, qui virus perfidie late propinant in aureo calice Babilonis¹³, ne, si forte sollicitudo vestra defuerit, vineam domini Sabaoth demoliantur vulpecule¹⁴, quarum caudas Samson ille fortissimus colligavit¹⁵. Ut enim Mardochai utar eloquio: Quid scis, optime principum, utrum idcirco ad regnum veneris, ut in tali tempore parareris¹⁶. Nam si potestati suffragetur voluntas, nichil ad succurendum Christo iam deest.

d) *nomet Hs.* e) *Nach Philipp. 2, 9 ergänzt.* f) *Zwischen sangui und nis hostiliter getilgt.*
g) *paraveris Hs., nach Esth. 4, 14 korrigiert.*

⁴) Vgl. Luc. 12, 48: *Omni autem, cui multum datum est, multum quaeretur ab eo.* Dazu s. oben S. 569f.

⁵) Vgl. Rom. 8, 12.

⁶) Vgl. Ps. 115, 12.

⁷) Ps. 115, 12.

⁸) Philipp. 2, 6.

⁹) Philipp. 2, 8–9.

¹⁰) Vgl. Ps. 115, 12.

¹¹) Vgl. Ps. 104, 11.

¹²) Ioel 1, 4.

¹³) Vgl. Ier. 51, 7 und Deut. 32, 33.

¹⁴) Vgl. Cant. 2, 15.

¹⁵) Vgl. Iudic. 15, 4.

¹⁶) Vgl. Esth. 4, 14.